

rium ex sui natura a nullo pendeat, sibi que ad existendum sufficiat, posset unumquodque eorum existere, quin alia existant, ex quo fit ut eorum non-existentia non repugnaret. Itaque, pluribus admissis entibus necessariis, eorum non-existentia repugnaret simul, et non repugnaret. Ergo vel unum tantum est Ens necessarium, vel nullum.

200. Quarto denique, cum Deus supremus rerum omnium conditor sit, atque moderator, non nisi unus esse potest. Si enim quidquid creatur, ab unico solum Deo creari potest, iam potuit mundus sine aliorum subsidio existere. Quis autem eum appellaverit Deum, sine quo mundus creari potuit? Sin vero quidquid a pluribus illis efficitur, ab unoquoque eorum praestari non potest, nullus eorum Deus esset<sup>1</sup>. Item ordinata rerum omnium dispositio, et apta totius mundi per leges constantes gubernatio supremæ Causæ intelligentis unitatem manifeste exhibet. Si enim plures hae causæ essent, et tamen in unitatem ordinis, et dispositionis convenirent, una ab altera penderet, nec proinde essent Dii; si vero non convenirent, non existeret ordo<sup>2</sup>.

201. Errore autem tenentur, qui polytheismum ubique obtinuisse arbitrantur. Etenim omnes illi, qui primis Christianæ Religionis temporibus adversus Gentiles scripserunt, hoc sibi probandum susceperunt, maximi nominis Philosophos unum rerum omnium parentem, ac Deum professos esse<sup>3</sup>. Quoad autem populorum fidem, iuverit haec observare: 1° A mundi origine usque ad diluvium, hoc est, per duo millia annorum circiter, unius Dei cultus in terris viguit. 2° Polytheismus aut paullo ante diluvium, aut, quod probabilius est, post diluvii tempora primum apparuit<sup>4</sup>. 3° Florentissima gens hebraea unum, ve-

<sup>1</sup> « Neque artificem, ad rem inquit s. Athanasius, inter homines absolutum dixeris, sed imbecillum, si non solus, sed cum multis unum opus expediat »; *Adv. Gent.*, n. 38.

<sup>2</sup> « Si plures, ait idem sanctus Doctor, mundo praeessent, ordo iste servari non posset, sed omnia confusione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et adversus alium pugnaret »; *Ibid.*, n. 39.

<sup>3</sup> Cf Hooke, *Religionis naturalis, et Revelatae principia*, t. I, sect. II, art. 2, p. 110, Venetiis 1763.

<sup>4</sup> Cf praeter Calmet (*Comment.*, t. V, *Dissert. de orig. idololat.*), aliosque

rumque Deum coluit; et, si quando ab institutis suis deficiens, falsa numina coluit, illico per Prophetarum admonitiones ab impio hoc cultu se revocavit. 4° Ex certis veteris historiae documentis novimus apud antiquos Indos, Sinas, Aegyptios, Persas, antiquissimos Graecos, Romanos, nec non apud Germaniae, et Scandinaviae populos vestigia primitivæ Revelationis circa unitatem Dei reperiri<sup>1</sup>. 5° Post Evangelii promulgationem cultus idolorum sensim concidit, et tandem non nisi penes quosdam immanes populos perseveravit, atque adhuc viget. Ex quibus efficitur polytheismum neque perpetuum, neque universalem fuisse. His tamquam cumulus accedit, quod plurium Deorum cultores valde inter se dissidebant, neque, teste Tullio<sup>2</sup>, in alia re, quam in quadam natura Divina admittenda consentiebant, ita ut consensio ethnicorum in eo potius versata sit, quod quaedam Divina natura sit, quam quod plures Dii sunt<sup>3</sup>. Neque illud omittendum, quod homines etiam superstitioso Deorum cultu implicati, cum impellente natura loquebantur, non Deos, sed Deum inclamabant. « Cum iurant, inquit Lactantius, et cum gratias agunt, non Iovem, aut multos Deos, sed Deum nomi-

multos, Lefbvre, *Ess. sur l'origine, la nature, et la chute de l'idolâtrie, inter Commentt. Universit. Catholic. Lovan.*, t. IV, p. 229 sqq.

<sup>1</sup> Cf hac de re Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. IX, p. 93 sqq, Napoli 1845. — <sup>2</sup> *Qq. Tuscul.*, lib. I, c. 13.

<sup>3</sup> Aliud est, errore teneri circa veram naturam Dei, ac ignorare Dei existentiam. Hoc adnotandum est adversus Buchnerum, qui (*Force et matière*, p. 184 sqq, Leipzig 1863) ex superstitioso populorum cultu consensum pro Dei existentia non realem Entis supremi notionem, sed aliquid ab ipsis hominibus excogitatum praesefere blasphematur. Sane, « intellectus noster, apposite inquit s. Bonaventura, deficit in cogitatione Divinae Veritatis quantum ad cognitionem, quid est, tamen non deficit quantum ad cognitionem, si est... Quia ergo intellectus noster numquam deficit in cognitione Dei, si est, ideo nec potest ignorare Ipsum esse, similiter non cogitare non esse. Quia vero deficit in cognitione, quid est, ideo frequenter cogitat Deum esse, quod non est, sicut idolum, vel non esse, quod est, sicut Deum non iustum: et quia qui cogitat Deum non esse, quod est, ut non iustum, per consequens cogitat Ipsum non esse, ideo ratione defectus intellectus Deus potest cogitari non esse... non tamen simpliciter, sive generaliter, sed ex consequenti, sicut qui negat beatitudinem esse in Deo, negat eam esse » (*In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. I, a. 1, q. 2 *resol.*). Quocirca ii, qui falsam divinitatem profitentur, se nullum Deum profiteri haud putant. Unde aiebat Lactantius: « Deorum cultores religiosos se putant, cum sint superstitiosi »; *Div. Inst.*, lib. IV, c. 28.

nant. Adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit<sup>1</sup>.

ART. II. Refutatur Manichaeismus

202. Refellendus hic venit error turpissimus de duobus principiis, bono altero, altero malo; quorum illud omnium in hoc orbe bonorum, alterum malorum causa sit. Opinionis huius absurdae originem eruditi a Zoroastro vetustissimo Persarum doctore repetunt. Persarum vestigiis institere haeretici Manichaei, ita dicti a Manete, insanissimae huius sectae auctore. In recenti aetate Manichaeorum patrocinium Petrus Bayleus suscepit, nullamque non movit lapidem, ut eam impietatem tot prostratam vicibus renovaret. Statuit nempe Manichaeorum hypothesim rationibus *a priori* absurdam demonstrari, sed *a posteriori* consideratam approbatione esse dignam<sup>2</sup>.

203. Ut commentum istud reiiciatur, tres propositiones demonstrandas suscipimus:

Prop. 1<sup>a</sup>. *Dualitas principiorum a Manichaeis admissa a ratione prorsus abhorret.*

*Probat.* Per principium summe malum vel intelligitur ens infinite contrarium principio bono in omni re, ut tenebrae opponuntur luci; vel intelligitur principium consors earumdem perfectionum, excepta sola benevolentia, ita ut sit quaedam natura Divinarum perfectionum particeps, sed ad malum maxime propensa. Atqui utroque sensu repugnat principium summe malum. Ergo.

204. Prima pars *minoris* ita demonstratur: 1<sup>o</sup> Cum malum opponatur bono<sup>3</sup>, summum malum, si re ipsa daretur, omne bonum tolleretur. Atqui bonum convertitur cum ente. Ergo si summum malum daretur, hoc tolleretur omne ens, sive esset *non ens* absolute sumtum; et ideo summum malum non aliter concipi potest, quam veluti *Nihil absolutum*. Atqui notio *Nihili absoluti* se ipsam destruit, quia esset simul omne ens, et nullum ens. Ergo notio mali summi est notio, quae se ipsam destruit.

<sup>1</sup> *Op. cit.*, lib. II, c. 1.

<sup>2</sup> *Dict. hist. crit.*, art. *Manichaeus, Marcionites, Pauliciens, Origène, Xénophon*, et in *Dialogis*, et in *Rep. à un Provincial*.

<sup>3</sup> Cf. *Ontol.*, c. V, art. 2, p. 31.

2<sup>o</sup> Malum, ut alibi ostendimus<sup>4</sup>, *in bono fundatur*, ac proinde non potest esse *omnino separatum a bono*. Atqui *summum malum oportet esse absque consortio omnis boni*. Ergo *nihil est summum malum*<sup>2</sup>. 3<sup>o</sup> Nihil intelligi potest veluti summum malum, nisi quod per suam essentiam malum est, quemadmodum non aliud summum Bonum, nisi quod per suam essentiam est bonum. Atqui repugnat aliquid esse per essentiam suam malum, quia omne ens, prout est ens, est bonum<sup>3</sup>. Ergo summum malum esse repugnat.

205. Altera *minoris* pars demonstratur hunc in modum: 1<sup>o</sup> Ens infinite perfectum non nisi unum esse potest. Ergo fingi nequit aliqua natura Divinarum perfectionum particeps. 2<sup>o</sup> Nulla natura attributis secum pugnantibus constare potest. Atqui haec duo, naturam aliquam esse Divinarum perfectionum participem, et esse simul ad malum maxime propensam, sibi adversantur. Ergo. 3<sup>o</sup> Intelligi nequit, quomodo Ens infinite perfectum possit malum prosequi. Etenim ens intelligens capere mala consilia non potest, nisi ex ignoratione recti, vel utilitatis alicuius spe. Atqui ens, quod aeternum, et independens, atque infinite intelligens adstruitur, rectum ignorare nequit, et sibi sufficiens nullius utilitatis consideratione a recto avocari potest. Ergo malum prosequi nequit.

206. Itaque evidentibus rationibus *a priori* repugnantia *dualismi* evincitur. Quod cum ita sit, illud systema nullo modo potest demonstrari verum *a posteriori*; sic enim idem esset, et non esset repugnans. Fallitur igitur Bayleus, atque ratiocinandi leges ipsis tyronibus perspectas ignorat, cum dualismum falsum *a priori* fatetur, sed verum *a posteriori* demonstrari contendit.

207. Prop. 2<sup>a</sup>. *Manichaeorum hypothesis fini, ob quem exco-*

<sup>4</sup> *Ibid.*, p. 32. — <sup>2</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 15.

<sup>3</sup> Cf. *Ontol.*, loc. cit., p. 33. Quae ut magis perspicua fiant, illud monendum censemus, quod nullum est argumentum, quo inferitur mala, quae in mundo sunt, ad aliquid, quod est per essentiam suam malum, reduci, aequae ac bona ad aliquid, quod est per essentiam suam bonum. E-nimvero, bona, quae in mundo sunt, ad aliquid, quod est per suam essentiam bonum, reducuntur, quia omnes res bonae sunt ex eo, quod particeps sunt infinitae Bonitatis Dei. At «nullum ens, ut s. Thomas ait, dicitur malum per participationem, sed per privationem participationis. Unde non oportet fieri reductionem ad aliquid, quod sit per essentiam malum»; 1, q. XLIX, a. 3 ad 4.

gitata fuit, adversatur, seu inepta est ad bonorum, et malorum, quae in mundo sunt, originem explicandam.

*Probatur.* Duo principia, quae Manichaei fingunt, vel aequalis sunt virtutis, vel inaequalis. Atqui si prius, tunc neque bonum, neque malum erit in mundo, quia vires aequales, et oppositae sese mutuo elidunt. Si vero posterius, tunc vel unice bonum, vel unice malum obtinebit; nempe, si praevaleat principium bonum, malum bacchari non sinet, nec sinere poterit; si principium malum viribus superius sit, nullum erit bonum. Ergo in Manichaeorum hypothesis ratio bonorum, et malorum, quae in mundo sunt, explicari haud potest.

208. Neque bonorum, et malorum origo melius explicatur, siingas cum Bayleo illa duo principia foedus quoddam iniisse, ne utrumque a suis effectibus producendis impediretur. Nam in primis foedus huiusmodi naturae utriusque suppositi principii adversatur. Siquidem, in sententia Manichaeorum, natura utriusque principii talis est, ut unumquodque, quantum in ipso est, non nisi effectus propriae naturae consentaneos praestare conetur; cum hoc autem necessario conatu nequit simul consistere, ut per se patet, supposita hypothesis foederis initi. Deinde, si principium summe bonum tolerare malum potest, quia ad id foedere sese adstrinxit, quin tamen bonum esse desinat, etiam absque consortio principii summe mali non desinit esse summe bonum, permittendo mala in mundo.

209. Prop. 3<sup>a</sup>. *Malum cuiuscumque generis sub unico Deo summe perfecto consistere potest.*

*Probatur.* Non alia malorum genera admitti possunt, quam *physicum*, et *morale*<sup>1</sup>; atque istud quidem dicitur *malum culpae*, sive in actione humana invenitur, cum haec ad morum regulas ordinem non habet; illud vero vel sequitur conditionem naturae, quae aliquo bono privatur, et dicitur *malum naturae*, uti est rerum corruptio, vel est in punitionem culpae, et dicitur *malum poenae*<sup>2</sup>. Atqui tum malum physicum, sive *naturae*, sive *poenae*, tum *malum morale* sub unico Deo summe perfecto consistere potest. Ergo.

<sup>1</sup> Nec dari, nec dari posse malum, quod vulgo *metaphysicum* appellatur, ostendimus in *Ontol.*, c. V, art. 2, p. 33.

<sup>2</sup> De iis, quae noxia, et inutilia in rebus esse dicuntur, et quae inter mala *physica* recensentur, vid. p. 303-304.

210. Veritas *minoris* ita evincitur: Quod ad mala physica spectat, illa ad Deum, tamquam in causam, non *directe*, seu *per se*, sed *indirecte*, seu *per accidens* referuntur. Siquidem quoad mala *naturae*, quae praecipue in corruptione, vel in tendentia ad corruptionem consistunt, eorum causa est Deus, non quatenus mala efficit, sed quatenus fertur in bonum, quocum contraria quaedam privatio coniungitur. « Agens, ait s. Thomas, in quantum sua virtute producit aliquam formam, ad quam sequitur corruptio, et defectus, causat sua virtute illam corruptionem, et defectum. Manifestum est autem, quod forma, quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, est bonum ordinis Universi. Ordo autem Universi requirit, quod quaedam sint, quae deficere possint, et interdum deficient<sup>1</sup>. Et sic Deus in rebus causando bonum ordinis Universi, ex consequenti, et quasi per accidens causat corruptionem rerum<sup>2</sup> ». Idem dicatur de malis poenae, quae nempe consequuntur culpam. « Ad ordinem Universi pertinet etiam ordo iustitiae, qui requirit, ut peccatoribus poena inferatur. Et secundum hoc Deus est auctor mali, quod est poena<sup>3</sup> ». Insuper *corruptio, et malum in rebus sequitur* ex eo quod *res creatae agunt secundum modum propriae naturae*; nam *propter contrarietatem, et repugnantiam, quae est in rebus, una res est alterius corruptiva*<sup>4</sup>.

211. Quae cum ita se habeant, ita argumentamur: Si infinita Dei perfectio expostularet, ut mala physica a rebus subtrahantur, dicendum foret, Deum debere auferre ab Universo ordinem, qui est ipsius Universi bonum, atque impedire quominus res creatae agant secundum modum propriae naturae. Atqui huiusmodi consequentis falsitatem nemo est, qui non videat. Ergo mala physica sub Deo summe perfecto consistere possunt.

<sup>1</sup> Id ex eo facilius perspicitur, quod, ut in *Cosmol.*, c. I, art. 5, p. 101, diximus, non esset generatio unius, nisi esset corruptio alterius.

<sup>2</sup> I, q. XLIX, a. 2 c. Quomodo ordo Universi inaequalitatem rerum, aliarum nempe, quae incorruptibiles, aliarumque, quae corruptibiles sint, expostulet, sanctus Doctor explicat *ibid.*, q. XLVIII, a. 2 c.; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 71, et *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 1.

<sup>3</sup> I, q. XLIX cit., a. 2 c. « Malum, ait etiam, naturalis defectus, vel malum poenae vult, volendo aliquid bonum, cui coniungitur tale malum. Sicut volendo iustitiam, vult poenam, et volendo ordinem naturae servari, vult quaedam naturaliter corrumpi »; *ibid.*, q. XIX, a. 9 c.

<sup>4</sup> *Contr. Gent.*, loc. cit.

212. Ex eo autem, quod Deus Universi ordinem sine ullius mali admixtione obtinere potuisset, inferre haud licet Ipsum ratione suae Bonitatis ad hoc teneri. Nam in primis nostrum non est definire, utrum melius sit illum ordinem obtineri per physica mala, an sine illis. Deinde, etsi hoc alterum melius aestimetur, tamen dici non potest Deum, ratione suae Bonitatis, ad id, quod est melius, teneri<sup>1</sup>.

213. Adde his mala physica plurimum conferre, ut finem nostrum, nempe felicitatem, et certius, et facilius consequamur; exercendis enim virtutibus occasionem praebent, culpas contractas abstergunt, animum ad praesentium voluptatum contemptum, atque ad aeternorum bonorum amorem adducunt. Quare huiusmodi mala vocantur a stultis mala, bene autem utentibus bona sunt, atque, ut Theodoretus ait, non nisi improprie et vulgo mala appellantur<sup>2</sup>.

214. Ad malum morale quod attinet, ipsum inest in actione, quae a morum regula deficit. Causa igitur huius mali in voluntate tantum creaturae rationalis sita est, quae, cum libera sit, et limitibus circumscripta, deficiendi capacitatem habet, atque libertate uti ad bonum, vel abuti ad malum potest. « Malum culpa, quod privat ordinem ad bonum Divinum, Deus nullo modo vult<sup>3</sup> ». Et sane, « malum, quod in defectu actionis consistit, semper causatur ex defectu agentis. In Deo autem nullus defectus est, sed summa perfectio. Unde malum, quod in defe-

<sup>1</sup> Cf *Cosmol.*, c. VIII, a. 2, p. 172 sqq.

<sup>2</sup> *Graecarum affectionum curatio*, Sermon V *De natura hominis*. Illud autem praetermissum nolumus, quod mala, quae nostram vitam comitantur, atque ipsa mors locum non habuissent, nisi a primaevo innocentiae statu natura humana deturbata fuisset. Quare illorum malorum origo ex peccato originali repetenda est. Deum vero hunc generis humani lapsum permittere potuisse, ex dicendis constabit.

<sup>3</sup> I, q. XIX, a. 9 c. Hae voces nullo modo significant Deum ne per accidens quidem posse velle malum morale. Etenim « aliquid malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquid bonum... Malum autem, quod coniungitur alicui bono, est privatio alterius boni. Numquam igitur appeteretur malum... per accidens, nisi bonum, cui coniungitur malum, magis appeteretur, quam bonum, quod privatur per malum. Nullum autem bonum Deus magis vult, quam suam bonitatem... Unde malum culpa, quod privat ordinem ad bonum Divinum, Deus nullo modo vult »; *Ibid.*

ctu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, non reducitur in Deum, sicut in causam<sup>1</sup>». Quin immo malum morale prorsus a Deo reprobari ostenditur ex eo, quod severissime illud prohibet, et insuper, notiones iusti, et iniusti hominum cordibus inscripsit, et valida media, quibus ad bonum incitamus, et a malo abducimur, nobis largitur. Quare neutiquam Deum velle malum morale, sed illud permittere tantum dici debet, quatenus nempe illud non impedit, sed sinit, ut agentia ratione, ac proinde libertate praedita pro lubitu operentur.

215. Iamvero haec mali moralis permissio Divinae perfectioni haud repugnat. Etenim 1° ita Deus permittit peccatum, ut hoc ex iis, quae Deus intendit, necessario non consequatur; Deus enim hoc unum intendit, ut creatura rationalis libertate sua recte utatur, atque ita felicitatem, ad quam illam destinavit, assequatur.

2° « Administratio universitatis, uti post s. Augustinum<sup>2</sup> inquit s. Bonaventura, est ut Deus sic res conditas administret, ut eas agere proprio motu sinat<sup>3</sup> ». Deus autem, permittendo malum morale, naturam rationalem modo, qui illi consentaneus est, gubernat; eam enim validis auxiliis instruit, ut peccatum cavere possit, sed si ipsa ad peccatum libere se determinet, non impedit, quominus pro suo lubitu se determinet.

3° Deus neque ex sua sanctitate, neque ex sua benignitate, neque ex sua sapientia peccatum impedire tenetur. Non quidem ex sua sanctitate; siquidem sanctitas Dei exigit, ut Deus peccatum odio interno infinito improbet, non vero ut teneatur omne peccatum depellere, quemadmodum ex eo, quod Deus virtutem necessario amat, non licet concludere Eum teneri efficere, ut omnia virtutis, et pietatis opera existant<sup>4</sup>. Neque ex sua beni-

<sup>1</sup> I, q. XLIX, a. 2 c. Cf p. 365-366. S. Anselmus, ut ostendat Deum nullo modo velle malum culpa, hoc utitur argumento: « Iusta voluntas hominis est ea, qua vult id, quod Deus vult eam velle, iniusta vero e contrario est ea, qua vult id, quod non vult Deus eam velle. Unde sequitur, quod si Deus vellet hominem peccare, homo peccando non peccaret, simulque voluntas eius iusta, et iniusta foret; iusta, quatenus conformis esset Divinae voluntati, qua Deus vellet illam peccare; iniusta, quatenus eidem Voluntati repugnaret, quae prohibet peccare »; *De lib. arb.*, c. 8.

<sup>2</sup> *De Civ. Dei*, lib. VII, c. 30.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XLVII, a. 1, q. 3 *resol.*

<sup>4</sup> Cf s. Bonav., *ibid.* ad arg.

gnitate; Deus enim non tenetur omnibus donis possibilibus hominem cumulare, nec proinde privilegium non peccandi ei concedere. Neque ex sua sapientia; tum quia, ut paulo ante diximus, « sapientis est removere hoc modo impedimentum, quod natura non tollatur <sup>1</sup> »; tum quia sapientia Dei haud postulat, ut Deus illa mala permittere nequeat, quae ab Ipso ad maximum bonum, et ad finem sibi praestitutum ordinari possunt <sup>2</sup>. Iam mala moralia a Deo ad bonum, et ad fines suos ordinantur; non quidem quatenus Deus velit illa mala, ut bonum consequatur, sed quatenus vertit malum in bonum, et ex ipso malo elicit bonum. « Vult bonum consequens, ex quo malum ordinatur; ex quo sequitur, quod velit mala facta ordinare; non autem, quod velit ea fieri <sup>3</sup> »; nimirum, si homo sua pravitate bonum in malum convertit, Deus, e contrario, sua Sapientia efficit, ut bonum ex malo nascatur. Hinc s. Augustinus aiebat: « Neque Deus... ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut bene faceret et de malo <sup>4</sup> ». Ex. gr., ut advertit s. Thomas; « non esset patientia Martyrum, si non esset persecutio tyrannorum <sup>5</sup> »; atque ex scelere omnium atrocissimo in Christum Filium Dei patratum Deus bonum omnium maximum, nempe opus nostrae redemptionis eduxit, et, ne plura consecemur, Divinae iustitiae, clementiae, aliorumque attributorum manifestatio, quae mundi ordinem maximopere commendat, absque mali moralis permissione nullum haberet locum <sup>6</sup>.

<sup>1</sup> In lib. II Sent., Dist. XXIII, q. I, a. 2 ad 3.

<sup>2</sup> « Quamvis malum, secundum quod exit ab agente proprio, sit inordinatum, et ex hoc per privationem ordinis definiatur; tamen nihil prohibet, quin a superiori agente ordinetur; Qq. dispp., De Ver., q. V, a. 4 ad 3.

<sup>3</sup> In lib. I Sent., Dist. XLVI, q. I, a. 4 sol.

<sup>4</sup> Enchir., c. 11, n. 3. Unde Deus « non eis ( creaturis liberis ) ademit hanc potestatem ( peccandi ), potentius, et melius esse iudicans etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere; De Civ. Dei, lib. XXII, c. 1.

<sup>5</sup> I, q. XXII, a. 2 ad 2.

<sup>6</sup> Perbelle ad hanc rem inquit s. Bonaventura: « Vis Divina, eliciens bonum ex malo, praepotens est malo, et ideo bonum, quod inde elicit, praevalet bono, quod malum corrumpit; et ideo plus valet Universum nunc, quam valisset tunc, in quod nunc modo commendatur Sapientia Creatoris. Unde Gregorius in benedictione caerei paschalis, O felix culpa, quae talem meruit habere Redemptorem. Et exemplum est de scypho sano,

216. Itaque Deus non vult, sed dumtaxat permittit malum morale. Atqui haec permissio Divinis Perfectionibus nihil obest. Ergo mala moralia sub unico Ente infinite perfecto locum habere possunt.

217. Rem totam ita perscrutimur: Ex malis nihil Divinae Perfectioni detrahitur. Ergo frustra, praeter principium summe bonum, aliud principium summe malum Manichaei comminiscuntur <sup>1</sup>.

218. Obiic. 1° Effectuum oppositorum oppositae sunt causae. Atqui bonum, et malum sunt effectus sibi invicem oppositi. Ergo sicut summum Bonum est causa boni, ita summum malum admittendum est, quod sit causa mali.

219. Resp. Dist. mai. Si sermo habeatur de causis proximis, et particularibus, conc. mai., si de causa remota, et universali, neg. mai. Dist. etiam min., ita tamen, ut ad eundem finem ordinari possint, conc. min., secus, neg. min. Neg. cons. Ultramque distinctionem ex D. Thoma accepimus. Quod ad primam attinet, « contraria, inquit sanctus Doctor, conveniunt in genere uno, et etiam conveniunt in ratione essendi. Et ideo, licet habeant causas particulares contrarias, tamen oportet devenire ad unam primam causam communem <sup>2</sup> ». Atque id generatim circa effectus contrarios intelligendum est; nam cum de malo, quod oppositum bono est, sermo est, illud etiam observandum est, malum proprie effectum dici non posse <sup>3</sup>, siquidem malum est « incidens effectibus, sed non est factum per se loquendo <sup>4</sup> ». Alteram distinctionem ex his sancti Doctoris verbis conficimus: « Res habent contrarietatem ad invicem, quantum ad proximos effectus; sed tamen concordant etiam contraria in ultimo fine;

qui frangitur, et religatur filo argenteo vel aureo, quia melior est post, quam ante, non ratione fractionis, sed ratione religionis; In lib. I Sent., Dist. XLVI, a. 1, q. 6 resol.

<sup>1</sup> Ex iis, quae adhuc demonstravimus, « excluditur etiam, ut s. Thomas advertit, quorundam error, qui propter hoc, quod mala in mundo evenire videbant, dicebant Deum non esse... Esset autem e contrario arguendum: Si malum est, Deus est. Non enim esset malum, sublato ordine boni, cuius privatio est malum; hic autem ordo non esset, si Deus non esset; Contr. Gent., lib. III, c. 71.

<sup>2</sup> I, q. XLIX, a. 3 ad 1. — <sup>3</sup> Qq. dispp., De Pot., q. III, a. 6 ad 2.

<sup>4</sup> Ibid. ad 3.

ad quem ordinantur secundum harmoniam, quam constituunt; sicut etiam patet in mixto, quod componitur etiam ex contrariis; et ex hoc sequitur quod agentia proxima sunt contraria, licet agens primum sit unum; quia iudicium de agente, et fine est idem, cum hae duae causae in idem incidant<sup>4</sup>.

220. Obiic. 2<sup>o</sup> Deus aut vult tollere mala, et non potest; aut potest, et non vult; aut neque vult, neque potest; aut et vult, et potest. Si vult, et non potest, imbecillus est, quod in Deum non cadit. Si potest, et non vult, invidus, quod aequè est alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, et invidus, et imbecillus est. Si vult, et potest, unde ergo sunt mala?

221. Responsio ex dictis constat. Deus enim potest utique omnia mala tollere, non vult tamen, ne impediatur bonum Universi. Neque propterea est imbecillus, aut minus bonus, quia omnipotentiam, et bonitatem suam patefacit, cum ex ipsis malis bona eliciat.

222. Obiic. 3<sup>o</sup> Secundum illud effatum, *Quidquid est causa causae, est causa effectus*, peccatum, cuius causa est liberum arbitrium, reducitur, tamquam in causam, ad Deum, qui est causa liberi arbitrii. Atqui id sanctitati Dei repugnat. Ergo.

223. Resp., *neg. mai.; conc. min. Neg. cons.* Et sane illud effatum ad rem non facit; nam « effectus causae mediae procedens ab ea, secundum quod subditur ordini causae primae, reducitur etiam in causam primam; sed si procedat a causa media, secundum quod exit ordinem causae primae, non reducitur in causam primam; sicut si minister faciat aliquid contra mandatum domini, hoc non reducitur in dominum, sicut in causam. Et similiter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra praeceptum Dei, non reducitur in Deum, sicut in causam<sup>2</sup> ».

224. Obiic. 4<sup>o</sup> Praevидit Deus hominem male usurum libero arbitrio. Ergo, cum sit infinite bonus, debuisset id impedire. Quod si bonitas finita patrisfamilias necessario exigit, ut impediat, quominus sui filii bonis, quae accepturi sunt, abutantur, multo magis bonitas infinita id praestare debuit.

<sup>4</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. I, a. 1 ad 4.

<sup>2</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXIX, a. 1 ad 3. « Peccatum, alibi ait, refertur in voluntatem, sicut in causam; et quamvis voluntas sit creata a Deo, in quantum est quoddam ens, non tamen quantum ad hoc, quod defectus ex ipsa incidere potest »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXXVII, q. II, a. 1 ad 2.

225. Resp. *Neg. cons.* Equidem, cum homo essentialiter sit rationis particeps, atque libertas sit essentialis rationis proprietas, idem fuisset condere hominem libertate carentem, ac non hominem, quod intrinsecus repugnat. Nec libertas est de se malorum scaturigo, sed solum illius abusus, cum mala non fataliter, ac necessario, sed contingenter ab illa deriventur. Neque ullum tam fatuum hominem esse putamus, quem libertatis a Deo sibi concessae poenitere possit, cum illa sit etiam innummerabilium bonorum fons. Potuisset utique Deus absolute impedire, ne homo peccaret, retenta nihilominus libertate; ast, cum id noluit, tantum abest, ut malorum permissio Eius infinitae bonitati obsit, quin potius illam mirifice manifestet, uti iam demonstratum est.

226. Exemplum autem patrisfamilias, qui bonus non esset, nisi prospiceret, ne filius abuteretur bonis ei traditis, nullam vim habet; nam pater est provisor particularis; Deus vero est provisor universalis. « Aliter autem, docente s. Thoma, de eo est, qui habet curam alicuius particularis, et de provisoro universalis; quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod eius curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius<sup>1</sup> ».

227. Accedit quod pater naturali officio impedire tenetur quaecumque filii mala impedire potest; Deus autem, uti demonstravimus, non tenetur omnia impedire mala, quae potest. Quocirca Deus peccati causa etiam indirecta dici non potest, nec debet: quia tametsi « non praebeat auxilium, quod si praeberet, homines non peccarent . . . hoc totum facit secundum ordinem suae sapientiae, et iustitiae, cum Ipse sit sapientia, et iustitia; unde non imputatur Ei, quod alius peccet, sicut causae peccati; sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis, ex hoc quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens, et debens gubernare<sup>2</sup> ».

<sup>1</sup> I, q. XXII, a. 2 ad 2. Ubi notanda est vox illa *aliquem*, ut excludatur Baylei sophisma, quo Deum mala permittentem assimilatur regi, qui *sineret crescere seditiones, et perturbationes in toto regno, ut gloriam acquireret procurati remedii*. Nam hac agendi ratione non *aliqua* regni mala particularia rex permetteret, sed ageret contra bonum commune regni, quod ipse curare debet. Quocirca ineptissimum est Baylei exemplum.

<sup>2</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. cit., a. 1 c. Cf. *ibid.*, q. VI, a. 3 c.